



**D. D. Emanuelis Gonzalez Tellez, In Inclyta Salmanticensi
Academia Collegii Majoris Conchensis Alumni, &
antiquioris vespertinæ Sacrorum Canonum Cathedræ
proprietarii Interpretis; in Pinciano Sanctæ ...**

Additis Notis uberioribus ab Historia, & Chorographia

Complectens Librum Tertium

**González Téllez, Emanuel
Francofurti Ad Moenum, 1690**

Capvt II. Ex Concilio (a) Mogunt.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74526](#)

Bobadilla *ubi supra*, dicendum est, illud extra dubium esse, pretium lege, aut populi consensu statutum obseruandum esse, & teneri mercatores juxta illud merces distrahere: unde cum in presenti jam juxta pretium receptum communiter in foro venderentur, recte Patres statuerunt, ut juxta illud peregrinis, iterque facientibus, merces distrahanter, cum exinde nullum damnum, aut præjudicium ipsis sequatur, aut inferatur.

II. Sed adhuc obstat Concilium Parisiense temporibus Ludovici, & Lotharii celebratum, lib. t. cap. 52. in illis verbis: *Comperimus, quod in quibusdam occidentalibus provinciis, suadente avaritia, Episcopi, & Comites, & ceteri Prelati pauperibus sibi subjectis soleant edictum imponere, ut nullus eorum tempore missis modum frumenti, nec tempore vendimie modum vini, majori preio, nisi quod ab eis constituitur, vendere presumpuat; quod si quisquam illorum contraria facere præsumperit, & paupertatis sue magnam iacturam patitur, insuper etiam acribus verbibus flagellatur: unde sit, ut cum aliis modius frumenti 12. denariis, & modius vini 20. denariis venundari possit, huiuscmodi seniores modum frumenti ad quatuor, & modum vini ad sex sibi extorquent denarios: que res, quia impieatis, iniustaque plena est, neesse est ut piissimi Principis auctoritate inhibeatur.*

Ex quibus constat, non posse Episcopo's statuere ut juxta certum pretium merces vendantur: igitur nec cogere poterunt parochianos suos, ut certo preio iter facientibus necessaria vendant. Pro cuius difficultatis solutione dicendum est, in eo textu non prohiberi taxationem, iusti pretii legitimè factam, sed eam improbat, quae ex avaritia, & radice cupiditatis procedebat, ut ita divites pauperes acquirent, ac lucrificarent, ut etiam refertur in Concilio Arelateni sub Carolo, can. 23. illis verbis: *Nec Comites, vel Vicarii, seu Iudices, vel Centenarii sub mala occasione, vel ingenio res pauperum emant, vel per vim tollant, aut quolibet arguento furripiant: sed si cuis aliquid possessionem emendum, aut vendendum sit, id in publico coram Comite, & iudicibus, & Nobilibus civitatis facere debet. Et in Concilio Magunt. cap. 7. ibi: Propter provisiones pauperum, pro quibus curam habere debemus, placuit nobis, ut nec Episcopi, nec Abbates, nec Comites, nec Vicarii, nec Iudices, nullusque omnino sub mala occasione, vel malo ingenio res pauperum, vel minus potentum, nec emere, nec vi tollere audeat. In praesenti autem agitur de iusto pretio rerum in foro recepto, juxta quod recte negotiatores cogi possunt res proprias vendere.*

CAPVT II.

Ex Concilio (a) Mogunt.

ET (b) mensuræ, & pondera justa fiant, sicut in divinis (c) legibus sanctum est, & in capitulari (d) Dominico continetur, & iste sacer conventus statuit; sic omnibus nobis observare placet. Et si quis justas mensuras, & justa pondera lucri causâ mutare præsumperit, in pane, & aqua (e) pœniteat.

NOTÆ.

- (a) **M**ogunt.] Can. 2. legunt Burchardus lib. 19. Decreti, cap. 148. Carnotensis part. 15. cap. 158. Papiensis in 1. collectione, sub hoc tit. cap. 3. Etiam in Pœnitentiali Romano, tit. 7. cap. 15. reperiuntur hæc verba, ex quo literam textus restituo: sed in Concilio Mogunt. hucusque excusis non reperi textum nunc, jam notavit Antonius Augustinus in *notis ad collectionem*, hic; licet reperiatur in Concilio Cabilonensi, cap. 37. & paucis verbis mutatis, lib. 1. capitul. Caroli, cap. 24. Quare credo canonem hunc editum fuisse in Synodo Mogunt. nondum excusa, de qua hæc refert Surius tom. 3. Concil. post Concilium Mogunt. sub Lothario & Rabano, ibi: *Habebit, candide lector, Synodus sub Rabano Archiepiscopo Moguntinus celebratam, ha- tenuis non excusat. Est vero sub illo alia etiam alia Synodus longè hac celebrior, quam libenter communicassemus, si ejus copia facta fuisset. Meminit ejus D. Joannes Abbas Tritheimius in chronico monasterii Hirsangiensis, his verbis: Babanus Archiepiscopus Moguntinus ius- sa Lotharii Imperatoris Synodum apud Mogun-*

tiam Episcoporum & Abbatum convocauit anno Domini 848. indict. II. in qua hereticum quemdam nomine Godfalcum, presbyterum condemnauit, & multa ad decorum, & utilitatem ecclesiasticam constituit. Fuerant inter alios ibi presentes celeberrimi viri Episcopi Herio Archiepiscopus Trevirensis, Hildeboldus Archiepiscopus Coloniensis, Alfridus Episcopus Hildesheimensis, Haymo Episcopus Halberstadiensis, Ludericus Episcopus Bremenensis, Limberius primus iste Abbas sancti Aurelii Hirsangiensis, Waldo Abbas Fuldenensis, Einhardus Abbas Seligenstetensis, Brunwart Abbas Hirselensis, Berthulfus Episcops Mediolacensis, Adventinus Abbas Mesensis, postea eidem Episcopus; Rodulfus Abbas sancti Medardi Suezionensis, postea Bituricensis Archiepiscopus, & alii multi Episcopi, Abbates, & Monachi, inter quos complures erant vita, & doctrina famosissimi. Hæc ille.

(b) *Ei mensure.] Ut mensura, legitur in hac lectione collectione, apud Burchardum & Carnotensem.*

(c) *Divinis legibus.] Levitici cap. 19. & 20. quorum verba infra dabitur.*

(d) *Capitulari Dominico.] Lib. 1. capitul. 74. ibi: Ut aquales mensuras, & reitias, & pondera justa,*

Tit. XVII. de Empt. & Vendit.

305

*E*quales omnes habeant, sive in civitatibus, si-
ve in monasteriis, sive ad dandum in illis, sive ad
occupandam, sive in legi Domini preceptum ha-
bemus: item in Salomone, Domino dicente, Pon-
dui, & pandus, mensuram, & mensuram, edita uni-
ma mea. Et in appendice 2, lib. 4, cap. 6, ibi:
De mensuris, ut secundam iustitionem nostram
sequales sint.

(c) Poeniteat.] *V*iginti dies poeniteat, legunt
Ivo, & Burchardus; qua lectione retinenda est,
nam in Poenitentiali Romano, ex quo cap. 13,
transcripti textum hunc, statim capite sequenti
in legitur: *Peculi falsitatem, vel fraudem al-
quam in mensuris, aut in ponderibus; ita dico, ut
falso modo, aut cum ponderibus injustis tua bona
vendere alius christianus: si fecisti, aut confessisti,*
viginti dies in pane & aqua penitente debet.

COMMENTARIVM.

*E*x presenti canone talis deducitur disputan-
tia affectio: *Fraudans iusta pondera & men-
suras, viginti diebus in pane & aqua panitere de-
bet.* Probat eam textus ex sacra pagina, Le-
vitici cap. 19, in fine, ibi: *Statera iusta, & aqua
sui pondera.* Deuter. cap. 25, ibi: *Pondus habe-
bit iustum, & verum, & modus equalis etiam
veru erit.* Proverb. cap. 11, in principio, ibi: *State-
ra dolosa abominatio est apud eum.* Osea cap. 12,
ibi: *Statera dolosa.* Amos cap. 8, ibi: *Stateras
dolosas.* Ex jure canonico cap. omnino 10, 45,
dof. cap. non afferamus stateras dolosas 24, q. 1.
cap. quanto, ibi: *Legitimo pondere, de iurejur.*
cap. 1, ibi: *Pondera iusta, ne cleric. vel mon.*
D. Clementis epist. 1, ibi: *Pondera, mensuras,*
stateras pro loco quibusque aquissima custodie,
deposita fideliiter restituente. D. Gregorius lib. 1.
regestr. epist. 13. *Ante omnia te volumus sollicie-
tiendere, ne iniusta pondera in exigendis pen-
sibl ponantur; sed si qua talia frange, & nova
confiue.* Concilium Arelat. sub Carolo, can. 15.
*Ut pondera, & mensura ubique aequalia sint, &
iusta, sicut scriptum est: A quia modius, & aqua
sextarium. Turonense sub Carolo, can. 45. Quod
mensura, & pondera iusta, ubique habenda sint,*
refit est Salomon, qui dicit, quod statera dolosa
abominatio sit apud Deum. Parisiens sub Lu-
dovico lib. 1, cap. 51, ibi: *Quanquam ergo con-
stitudines perverba non facile corriganter, hac ta-
men consuetudo in aequalium modiorum, & in iusto-
rum sextariorum, atque ponderum dolosorum ne-
esse est ut principali metu oculis corrigantur, &
ad praeciputum divinum tanta tortitudo flectantur.*
Et lib. 3, cap. 3, ibi: *Hoc tamen modis omnibus opta-
mus, & monemus, ut in unaquaque provincia Im-
periis nostri iusti, atque terrore Celsitudinis vestra-
nudus duplices mensuras in sua dominatione, au-
habent, aut haberit permittat, quoniam has occa-
sione multos panepes affligi in plerisque locis co-
gnovimus.* Ex jure civili 1, annotam, ibi: *State-
ra adulterina, ff. de extraordin. crimin. l. in Darda-
nios, 37. ff. de prenis, l. si quis excori. 55. ibi:*
Si majora quis pondera, ff. de furitis, l. arbitrio 18,
*5. vel qui scens, ff. de dolo, l. modios 9. C. de sus-
cep. lib. 10. Ex jure nostro Regio, l. 7. & 8.*
*ii. 7. partit. 7. l. 1. & 2. tit. 15. lib. 5. recopil. Il-
lustrare ultra concessos à Barbola & Garanna
in prefatis, Crespetius in summa, verba Men-*

sura. Antonius Augustinus lib. 35, tit. 7, in epite.
Antonius de Burgos in repetit. ad hunc texum,
Cujacius hic, Petrus Gregorius lib. 4, partit.
tit. 11, cap. final. & lib. 47. *Iustagmatum, cap. 31.*
Brisonius lib. 1, select. cap. 6. Hermosilla int. 2, #
glos. 2, tit. 5, part. 5. Chopinus lib. 1, de juris.
Andegavensem, cap. 40. Bobadilla lib. 3, polit.
cap. 4, num. 105. Gibalinus tom. 1, de negot. lib. 1,
cap. 6, art. 8.

Sed pro dubitandi ratione in praesentem af-
fertionem ita infurgo: *Quibus ponderibus & impugna-
tis mensuris uiri debent negotiatores, & contra-
tur tradicentes, eorum arbitrio committitur, l. Impera-
tores 71, vers. in contrahentis, ff. de contrah. em-
ption. cap. ex parte 8. vers. In secundo, de censibus:*
Ergo licet, & impunè poterit quisque uti pon-
deribus ac mensuris pro arbitrio. Augetur hæc
dubitandi ratio ex eo, quia naturaliter licet con-
trahentibus ad invicem se decipere, ut sequenti
commentario dicemus: Ergo etiam circa pon-
dera, & mensuras licet illis se decipere. Secun-
dò fulcitur hæc difficultas ex eo, nam qui falsis,
vel iniquis ponderibus, seu mensuris uitur, te-
netur actione ex empto ad supplementum rei
venditæ, l. si quisquam, ff. de action. empti, iusfls
cap. per duas 5, de donat. Ergo si ita emptoribus
consulsum est, ad quid poenitentia viginti die-
rum venditori injungitur. Tandem difficilis est
praesens canon, dum in eo imponitur poenitentia
viginti dierum illis, qui falsis ponderibus, &
mensuris usi fuerint; nam si illis, ut fallari
poenitentia injungenda est, arbitrio confessorum
relinqui debent poenitentia imponenda,
tam tempus, quam modus, cap. tempora 2,
cap. de his 3, 26. quest. 7, in actione 8, cap. men-
suram 86, vers. Sed magis in arbitrio facer-
dotis, de poenitentia, distinctione 1, cap. quesiti-
um 7, de poenitentia, & remissione: Ergo non
recte in praesenti prescribitur spatium viginti
dierum.

Quâ difficultate ita fulcitur minimè obstante
vera est praesens decisio, pro cuius expositione De ratione
sciendum est, publico populi regimini semper, ponderum
& apud omnes nationes expediens, immò ne-
cessarium vism suisse pondera, & mensuras pra-
scribi, & statui pro totius regni regimine: eo-
rum inventorem Cainum suisse tradunt Josephus lib. 1, antiquit. Freculphus tom. 1, chron.
lib. 1, cap. 9, ibi: *Simplicitatem quidem, cum qua
prius vivebant homines, ad rationem mensurarum
& ponderum permutavisi, terminos terra primus
posuit, civitatesque constituit, muriisque munivit.*
Et si eam laudem Palamedi tribuant Strabo lib. 5.
D. Isidorus lib. 16, orig. cap. 24. Pythagore
Diogenes Laërtius lib. 9. Moysi idem Divus
Isidorus, atque alii alii, ut refert Pater Giba-
linus tom. 1, de negot. lib. 1, cap. 6. & Aristote-
les lib. 9, Metaphys. ad civitatum Moderatores
ponderum, & mensurarum publicarum definitionem
pertinere ait. Quare Polybius lib. 3, ut
Achaorūm conspirantes inter se voluntates do-
ceret, universam Achaiam, & Peloponnesum,
non modò eadem religione, iisdem Magistra-
tibus, iisdem legibus, verum etiam iisdem pon-
deribus, ac mensuris vism suisse scribit: facit
Cassiodorus lib. 1, variar. cap. 20, ibi: *O inventa
prudentiam! o provisa majorum! Exquisita res est,
qua & nisi humano necessaria distingueret, & iob*

D. D. Gonzalez in Decretal. Tom. III. Pars I.

Cc 3

ACCEPTE

arcana natura signaliter contineret. Merito ergo dicitur libra, qua tantâ rerum est consideratio ne trutinata. Talia igitur secreta violare, sic certissima velle confundere, nonne veritatis ipsis videatur esse crudelis ac fôda laceratio? Exerceantur negotiatores in mercibus, emanunt latè que vendantur angustiis, constet populus pondus, ac mensura probabilitus: quia cuncta turbantur, si integritas cum fraudibus misceatur. Quare Valentianianus cavit in l. modios, C. de susceptoribus, lib. 10. ut per singulas Romanii Imperii civitates pondera & mensurae publicè collocarentur, quo fiducia publica constaret: & Roma pondera, ac mensurae in Captiolio servabantur, ad quantum modum privatorum mensurae, si quando controvergia esset, exigerentur, unde Fanius ait:

Amphora sit cubus, quam nec violare licet

Sacra verè fovi Tarpejo in Monte Quirino.

Illustrat Gothofredus in l. 19. C. Theodos. de suscep. facit Apulejus lib. de Philosop. pagina 267. ibi: Ponderum, mensurarumque casus erat publicus Zygostates, qui dirimebat dubitatem exortam super mensurae. Facit etiam lex 1. & 2. C. de ponderat. Et aurii illat. lex ultima, C. Theodos. de superexactoribus, lib. 11. que est lex jubemus, penult. C. de defensor. civit. ideoque Justinianus in Novella 128. cap. 15. juber, pondera & mensuras in sanctissimis uniuscujusque civitatis Ecclesiis servari, ut secundum ea de aliis judicaretur, & ne possint à quoquam popularium vitiari. Illustrat morem hunc servandi pondera, & mensuras in Ecclesia, Mariana in opere. de ponderibus. Pondera autem legitima, justasque mensuras statuere ad Principem spectat, dicta l. modios 10. dicta l. 1. & 2. recopil. ubi Matienzus, & Azeved. D. Thomas lib. 2. de regim. Princip. cap. 14. & secundum pondera ab ipso diffinita alia conficienda sunt per Magistratus, & Rectores civitatum, dicta Authent. de collat. 8. eis, docent Matienzo & Azevedo suprà, qui inde deducunt, in ponderibus & mensuris debere apponi signa Rogaia, vel Dominorum, aut Civitatum, iuxta dictam legem 2. Recopilat. ibi: Y selladas del sello de la ciudad. Quare si mensura ita signata non sint, false judicantur, dicta l. 1. recopil. cuius rei cura apud Romanos ad Aediles spectabat, l. item queritur 13. §. si quis mensuras, ff. locati, junctis traditis à Petro Gregorio lib. 3. syntagmatum, cap. 1. Apud nos tamen pertinet ad Praepositos. vulgo Fieles. l. 7. tit. 7. part. 7. plura congerunt de ponderibus & mensuris, varia eorum genera apud varias nationes recepta & usitata cumulantur, & exponentes Fanius, & Mariana in opere de ponderibus & mensuris. Lorinus in cap. 19. Leviticus, Vandalpandus tom. 2. in Ezechielem, Pancirola lib. 1. variar. cap. 6. 4. Brisionius lib. 1. soleat. cap. 6. ubi exponit textum in l. cùm de lamonis 18. ff. de instruēt. vel instruēt. Gibalinus tom. 1. de negot. lib. 1. cap. 6. per totum, Beyerlinch. tom. 6. in Theatro, verbo mensura. Conradus Kling. lib. 5.

Secundò sciendum est, grave admodum delictum esse legitima pondera, justasque mensuras minuire, seu adulterare. Cassiodorus lib. 11. variar. epist. 16. ibi: *Qui agrave scelus esse iudicatur*

camus, aut mensuras modum excedere, aut libras aquissimi ponderis justitiam non habere. Infidelis, perditique hominis est fallere eum, qui leuis non fuisset, nisi credidisset. Quare iure civili legem Corneliam de falsis tenebatur qui falsis, seu corruptis mensuris utebatur; & ex decreto Adriani in insulam relegabatur qui pondera, aut mensuras falsaverat, l. hodie 32. §. ult. ff. ad legem Corneliam de falsis. Immò & eum qui falsas mensuras habuit, idem Imperator in insulam relegavit, l. annona 6. §. 1. ff. de extraordin. crimin. & falsis mensuris utentes competentem penam subire debere docebat in l. modios 9. l. ult. C. de suscep. propo. Et arcari latius probabinus in cap. 1. de criminis falsi. Nostra legi Regia 7. tit. 7. part. 7. ita cautum legimus: *Medidas, ó varas, ó pesos falsos teniendo algun home a sabendas, conque vendiese ó comprasse alguna cosa, face falsoedad. Pero non es tan grande como las otras que decimos en las leyes anties de esta. E por ende mandamos que el que las assi fiziere, pese el danno doblado que recibieron por tal razon, como està aquellos que compraron del, ó que le vendieron alguna cosa, è demas que sea desterrada por cierto tiempo en alguna isla, segun albedrio del Rey: è que aquellas medidas, ó pesos, ó varas que tieueen falsas, sean quebrantadas publicamente, ante las puertas de aquellos que usaban comprar, è vender con ellas. Proseguantur alia de falsis mensuris Gregorius Lopez in dicta lege 7. gloss. 5. Petrus Gregorius lib. 47. syntagmatum, cap. 31. num. 5. cum sequentibus, Bobadilla lib. 3. polit. cap. 4. num. 105. cum sequentibus. Et de gravitate hujus peccati quoad forum conscientia alia cumulavit Gibalinus de negot. dicto tom. 1. cap. 6. artic. 8.*

Quibus animadversis ratio præsentis assertio nis facile deprehenditur, ideo scilicet fraudantem legitimam ponderam per viginti dies junare debere, quia hoc falstatum delictum omnijure daminatum, & vindicatum legimus. Jure naturali, quia eo prohibetur quis locupletari cum alterius jactura, l. iure 206. ff. de reg. iuri. Jure divino tot locis suprà citatis, in quibus detentur iniqua pondera. Jure civili, & canonico ex fragmentis suprà citatis, in quibus diverse penae imponuntur, tam in foro interiori, quam exteriori. Merito, cum peccet mortaliter, qui mensuris, aut ponderibus falsis utitur: ideo recte Patres illi ad 20. dies penitentiam injungunt. Et licet Judex Ecclesiasticus hodie contra hujusmodi falsarios procedere non solet, tamen jure communis atentio ipsis punire posse, docet Petrus Gregorius libre 15. syntagmatum, capite 12. numer. 37.

Nec obstat dubitandi ratio suprà expensa, deducta ex dicta lege Imperatoris. Quia respondeatur cum Glossa ibi coiuntur inter recepta, tex. autem illum procedere quando in loco ubi contrahitur, sunt diverse mensuræ; quo casu possunt contrahentes pacisci de mensura iusta, quâ venditio procedat; cum diverse repertae sint mensuræ publicè approbatæ. Nec obstat primum augmentum ipsius difficultatis; nam eti licet contrahentibus ad invicem se decipere quoad pretium, & ejus modum, non tamen licet quoad mensuram, & pondus; nam in eis nulla facultas competit partibus augendi, aut minuendi pondera aut mensuras publicè probatas;

baras; alias privatas licet immitare, *diit l. Im-*
peratores. Nec obstat secundum augmentum, cui
respondendum est, fraude commissa in mensu-
tis, posse agi ad supplementum judicio civili;
non tamen perinde excluditur pena, qua in
uroque foro injungitur utroque jure, civili,
& canonico. Nec obstat ultimum difficultas
augmentum, pro cuius solutione sciendum est,
quod cum olim pro satisfactiōne culparum di-
vera pœnitentia pœnitentibus injungeretur,
iecellarium, & valde conveniens fuit, ut mo-
dus & ratio pœnitentias prescribere
eatur, & ut canones colligerentur de eisdem de-
lictis, sive criminibus, quos posteri Pœnitentia-
lia libri, & canones dixerunt; de quorum
*auctoritate agunt Antonius August. *in prefat. ad**
ipso, Andreas Sausay in Panop. sacerd. p. 1. lib. 7.
§. 25. Anguianus lib. 2. de legib. controv. 3. Ve-
rūm cum pœnitentia publica, & solennis in usu
esse defūlserit, praxis predicatorum canonum in-
valuit, ut probat Anguianus ubi proximè; unde
licet ex veteri Pœnitentiali stuprā relato, frau-
dantibus pondera, vel menuras jejunium per
20. dies statutum esset, noviori tamen jure arbit-
rii sacerdotii relinquuntur pœnitentia illis injun-
genda.

CAPVT III.

Alexander III. (a) *Atrebatenſi Episcopo.*

Cum dilecti filii nostri (b) Beluacenses Canonici contra religiosos viros Abbaem, & Fratres (c) Carliloci proponerent, quod (d) silvam, quæ Nigra Vallis dicitur, à quibusdam corum, ignorante (e) Capitulo x. libris, xii. marchas tunc valenter comparassent, post multas commissiones, tandem easam ipsam venerabili fratri nostro (f) Morinensi Episcopo, & dilecto filio Decano Rhenensi sub certa forma commisimus terminandam, adjacentes in litteris, quod si uterque ejusdem causæ cognitioni interesset nequiret, alter adhibitis sibi viris prudentibus & honestis in eodem negotio procedere non (g) differret. Cum itaque Decanus partes ad suam propter hoc pœnitentiam convocasset, Abbas & monachi non ad agendum, vel respondendum, sed ad quærendum dilationes nuntios destinarunt, afferentes, quod ad nos misserant, & ad audientiam nostram appellarant. Verum quia in litteris appellatio remota fuerat, Decanus in illius causæ cognitione processit. & cum ei per testes Canonicorū Beluacen. constitisset, quod predicti Fratres silvam minus dimidia justi pretiū comparassent, (h) venditionē non tenere, & silvam ipsam Beluacensi adjudicavit Ecclesiæ, & Canonicos in possessionem induxit. Nuntiis igitur utriusque partis in nostra propter hoc pœnitentia constitutis, dum ex parte Canonicorum instanter, & sollicitè sententia peteretur auctoritate Apostolica confirmari, habita deliberatione cum fratribus nostris, & aliis sapientibus viris, qui legibus jurati judicant, eandem sententiam iuri (i) contrariam intelleximus, quia in arbitrio emptoris est, si velit, supplere, aut venditionem rescindere, cum res minus dimidia justi (k) pretiū comparatur. Ea propter sententiam de communi consilio fratum, & predicatorum sapientium irritantes, possessionem monachis judicavimus esse reddendam, salvâ omni quæstione super deceptione pretiū, vel consensu Capituli in venditione non habito, & alia rationabili, quam Canonici contra monachos duxerint proponendam.

NOTÆ.

(a) *Atrebatenſi.*] Ita etiam legitur in prima collectione sub hoc titul. cap. 4. De Atrebatenſi Germania Ecclesia nonnulla notavi in cap. 13. de arbitriis.

(b) *Beluacensi.*] De Beluacensi urbe, & ejus Ecclesia Cathedrali, egi in cap. 13. de foro compensis.

(c) *Carliloci.*] Quod monasterium est in diecēsi Silvanevensi: alibi dicitur Caroliloci, alias Carliloci, ut jam notavi in cap. ex parte, de re scriptis.

(d) *Silvam.*] Quæsi solet, at in venditione silva ceduz, ob latitudinem ultra dimidiā comparat beneficium legis 2. C. de rescind. In qua questione ita distinguit David Argent. in select. ad diit. l. 2. aut silva cæsa erat, vel non. Primo casu arbores habentur pro rebus mobilibus,

ideo venditio non rescinditur: secundo vero eaſū adhuc arboribus solo coherentibus, quia silva verè res immobilia est, afferit competere predicatorum beneficium.

(e) *Ignorante Capitulo.*] Hæc verba exposui in cap. 1. de his quæ fuit à Pralatis.

(f) *Morinensem.*] De qua Ecclesia egi in cap. 1. de alienat. judicis.

(g) *Non differret.*] Effectum hujus clausulae exposui in cap. seq. citatu, de re scriptis.

(h) *Venditionem non tenere.*] Et male, cum venditio ita facta, licet cum talilacione, subsistat & valida sit.

(i) *Iuri contrarium.*] Non expresso juris errore in ipsa sententia, alias nulla esset ipso jure, ex traditione in cap. 1. de re iudic. sed iuti partis contraria fuit, quo casu esti iniusta, valer sententia, juxta ea quæ adduxi in capite inter ceteras, eodū titulū.